

05
A
1995





L.
DISPUTATIO JURIDICA,
De
USUCAPIONIBUS
ET LONGI TEMPORIS PRÆ-
SCRIPTIONIBUS,

Quam

Divinâ favente gratiâ

*Authoritate & permisso Magnifici Jctorum Ordinis
in Illustri Witebergâ,*

Præsidente ac Dirigente

AMPLISSIMO AC CONSULTIS-
SIMO VIRO,

DN. JEREMIA REUSNERO, J.U.D.
Professore Publico, Electoralis Curiaë, Dicasterii & Fa-
cultatis Juridicæ ibidem Adessore, Præceptore ac
Promotore suo perpetim colendo
observando,

Publica disquisitioni subjicit

JOHANNES JACOBUS Kraß /
Stendaliensis Marchicus.

Ad diem 20. Januar. horis à 7. matutinis

In Aroaterio Jctorum.

W I T T E B E R G Æ,

Ex Officinâ Typographicâ **CHRISTIANI THAM,**
Acad. Typogr.

ANNO M DC XXVI.



05 A 1995



IN NOMINE DO-
MINI NOSTRI JESU CHRI-
STI AD OMNIA NOSTRA CON-
silia omnesq; actus feliciter progredimur

l. 2. in pr. C. de Off. Praef. Prat. Afri.

Prooemium.

DE Usucapione materiâ variâ, multiplici,
obscurâ, attamen utilissimâ, exercitii gratiâ,
collationem publicè instituturus, operæ pre-
ciû me facturum arbitror, si à definitione ipsâ exordi-
um fecerim, cû ea amissis sit proprietatis, & totius ex-
actæ, ac methodicæ disputationis certum fundamen-
tum *Everb. in top. in loc. à defn. n. 4.* Insuper cum ejus
rei quam definire volumus propria, brevis, ac circum-
scripta quædam explicatio sit. *Idem in topic. d. loc. n. 4.*
Unde ille Eloquentiæ Parens *lib. 1. offic.* admonet, dis-
putationem semper à definitione proficisci debere,
ut intelligatur quid sit id, de quo disputatur. Hujus
nostri Parentis in eloquentiâ summi vestigiis ego in-
sistens, à definitione ipsâ hanc disputationem incipio:
antequam verò me ad illam convertam, præmittam
pauca de notatione vocis, ac alia quædam ad def. usu-
capi. meliorem intellectum non minimè utilia.

POSITIO I.

Cum in omni dissertatione hæc quæstio primum sibi vendicet locum: An res sit vel ejus usus, ne si de eâ dubitetur, frustraneè in cæteris laboretur, nec me immeritò hoc loco quærere existimo: Num usucapionis usus hodie aliquis sit, (a) & cur hic modus acquirendi sit introductus? (b)

(a) Id neminem negare puto: Lippis enim & Tonsoribus fermè notum est, quantoperè dominium nostrum augeat usucapio, & quemvis de proprio patrimonio sollicitum esse doceat. (b) Introductus est hic modus acquirendi, i. ut dominia sint certa. 2. ut litium aliquis sit finis, cum Homines ad dissentendum sint faciles *vid. l. i. h. t.* quæ causam impulsivam nempe bonum & salutem Reip. quæ suprema lex esse solet exprimit.

II.

Usucapio dicitur quasi per usum capio (a) quod per usum, id est, possessionem (b) capiat sive acquirat. (c) Uti etiam Præscriptio à præscribendo dicta, id est, præfigendo, & præfiniendo (d)

(a) *Vvesenb. in parat. ff. h. t. n. 2. Schneid. hinc in pr. n. 5. l. 13. 29. 44. §. 7. ff. h. t.* (b) Usus enim possessionem significat *l. questio 115. de V. E. Borch. ad rubr. hinc.* (c) Hæc verba effectum expriment, nam quando res quædam ita legitimè capitur, res nostra fit, ut mansura sit. *l. aliud est capere 71. de V. S. Hilli. Don. enucl. 5. c. 5. l. b. Duaren. de Usucap. Alciat. ad l. 115. de V. S.* Hinc rectius legitur usucapio quam usucapio, quia nō usus sed res per usum capitur *Connan. 3. Comment. 11. n. 1.* Hinc res rectè dicitur per usum acquiri *l. deniq. 19. l. ait Prætor. 23. pr. §. 1. & 3. ff. ex quib. causis major 25. ann.* (d) Præscriptio autem in genere nihil aliud est, quam exceptio *l. penult. & final. C. de except. arg. rubr. ff. & C. à ll. verò præfinitum est illud tempus, intra quod debet fieri repetitio rei à Domino sub panâ amissionis dominii Balb. in tract. de præ-*

de prescript. part. 1. q. 2. Schneid. hic n. 6. hinc præscribere nihil aliud est quam ab agendo repellere.

III.

Definitur usucapio quod sit adjectio (a) domini (b) per continuationem (c) possessionis (d) temporis lege definiti. (e) Præscriptio (f) verò est exceptio ex tempore legibus determinato (g) substantiam capiens. (h)

(a) l. 3. ff. h. t. l. traditionibus 20. C. de Pact. Dissent. Duaren. ad d. l. 3. Cujaci. ibidem, & ad Ulpian. fragment. tit. 19. qui legendum esse adeptio non adjectio existimant. Sed utraq; lectio meo animo proba, commodior tamen adjectio, quippè cum possessioni prius acquisitæ, dominium per usucapionem adjiciatur Donell. lib. 5. Comment. cap. 5. (b) Civilis scilicet eo casu quo dominium jure gentium acquiri nequit. Et hoc est quod in l. traditionibus C. de pactis dicitur: Traditionibus & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferri Borch. ad rubr. Inst. h. t. (c) l. 3. 20. 31. §. 1. ff. h. t. §. diutina In. eodem l. 2. C. de prescript. longi tempor. (d) l. 3. 26. ff. h. t. & sine possessione usucapio non procedit l. 25. ff. h. t. c. sine possess. de Regul. juris in sex. Schneid. h. t. n. 11. Possessionis autem verbum debet cum effectu, & ut fieri solet in definitionibus, propriè accipi, videlicet de justâ, plenâ, ac perfectâ possessione, quæ & titulum habeat, hoc est, legitimam possidendi causam sufficientem, ad acquirendum dominium, & bonam fidem, ut qui possidet, credat se suo jure tanquam Dominum possidere VVesemb. in parat. h. t. n. 7. (e) l. 3. ff. h. t. authent. nisi tricennal. C. de bonis maternis l. 2. C. In quibus caus. cessat long. tempor. prescript. Sex his itaq; versu & hoc est In. per quas personas cuiq; acquir. Non enim sufficit unius ac alterius diei possessio, sed tempus requiritur legitimum, unde etiam temporis suffragium appellatur l. 24. ff. de donat. inter vir. & uxor. (f) Ejus acceptio est multiplex, sumitur enim 1. pro translatione uti notat VVesemb. in parat. de Except. n. 4. 2. sumitur pro specie mandati, dum alicui, quid gerere debeat, præscribitur Bach. vol. 2. disp. 22.

ib. 1. lit. H. 3. pro specie acquisitionis domini, & hinc cum usucapione semper ab Interpp. videtur confundi. 4. Pro omni exceptione l. 11. ff. de except. l. 3. §. 1. ff. de præv. l. 3. ff. de appellat. 5. Pro temporali exceptione l. 5. §. 1. l. 12. & tot. titul. ff. de divers. tempor. prescript. (g) Tempus enim sine legis sanctione nihil in hac re operatur (h) glossa ad rubricam extra de prescript. Alciat. ibidem n. 4. & in l. 130. de V. S.

IV.

Originem suam trahit usucapio à jure civili
(a) & quidem primævam à ll. XII. Tab. (b)

(a) *Prim. Inst. h. t. §. ult. Inst. de usu & hab. §. hæcenus Inst. per quas person. cuiq; acquir.* Et quidem bono publico est introducta. l. 1. h. t. unde non mirum est, si huic publicæ utilitati cedat lex inferior, quæ vetat cuiquam invito dominium auferre l. 4. C. de rei vindicat. l. non debet 74. de R. J. Vvesenb. in parat. hinc n. 9. (b) Olim enim lex XII. Tabul. in re mobili ubiq; tempus anni statuebat: in immobili biennium, sed in Italico duntaxat solo *Mynsing. hinc n. 1.* Sed tamen cum illa à Prætoribus fuerit efformata atque exulta *prim. Inst. de perpet. & tempor. act. & pro re nata illa ex cultura præpolleat* Juri civili tanquam potiori erit ascribenda. Hinc asserimus usucapionem nullo modo juri naturali contrariam esse. 1. Quia nihil magis congruit æquitati naturali quam ea quæ semel placuerunt servare l. 1. de pact. l. 1. ff. de constitut. pecun. & nihil tam conveniens est æquitati naturali quàm voluntatem Domini volentis rem suam in alium transferre, ratam haberi §. 41. *Inst. de R. D. l. 28. de V. S.* 2. Quia naturalis æquitas nihil aliud est, quam iudicium quoddam rationis, ac veluti lex de justis atq; injustis à naturâ omnium Hominum mentibus inscripta. *Duar. in l. 1. in pr. ff. de pact.* cum quâ congruere usucapionem finis ejus ostendit, ut videlicet fit aliquis litium finis l. fin. ff. pro suo.

V.

Omnes usucapere possunt qui possidere:
(a) Unde Paterfamilias, Filiusfam. (b) maxime castren

castrenfia & quasi castrenfia peculia (c) item Pupillus (d) & infans Tutore auctore rectè usucapiunt (e) Omnibus verò negligentibus minimeq; res suas custodientibus præscribitur (f)

(a) Sine possessione enim nulla usucapio procedit *l. 25. ff. h. r. c. sine possess. de Reg. juris in sext.* Non nuda autem possessio sufficit, sed illam possessionem debet præcedere iusta traditio, & postea ipsi accedere bona fides *l. unic. C. de usucap. trans. l. 10. l. 27. l. 33. in pr. h. r. l. 2. C. de præscript. long. tempor.* Sufficit autem in immobilibus initio intervenisse bonam fidem de jure civili videlicet traditionis tempore *pr. Inst. h. r. l. 2. C. de long. tempor. præscript. l. 2. in pr. ff. Pro emtor. Vvesenb. in parat. h. n. 16.* quod tamen in emtione & venditione non procedit: In emtione enim duplex tempus spectatur, & bona fides exigitur utroq; & emtionis & traditionis tempore *l. 2. in fin. ff. Pro emto. l. 7. in fin. ff. de Publ. in rem actio.* propterea quod salvâ fide scientes rem alienam emere non possunt. *l. 1. C. de reb. alien. non alienand.* An dubitans bonam fidem habere censeatur inter Dd. est diversa sententia? Nos illum minimè bonæ fidei possessorem esse statuimus: Bona enim & mala fides sunt contraria *Dynus ad c. possess. de R. 7. in sext.* nec medium inter utramq; dari potest. Sed qui dubitat in bonâ fide non est, quoniam habet læsam alienæ rei scientiam. E. relinquitur eum in malâ fide esse, non enim credit rem esse suam, sed putat rem esse alienam, *vid. l. 32. §. 1. ff. h. r. l. fin. C. Unde vi. Guih. Forst. disp. 9. th. 5.* Mala fides autem de eo, qui errore juris vel facti lapsus est non est præsumenda, scientiam enim vel opinionem, ejusmodi errans rei alienæ non habet, errat enim & errantis nulla est scientia, nullus consensus *l. 15. ff. de jurisd. quod ipsum confirmant l. si id quod 5. ff. pro derelicto l. si vir 3. ff. pro donato l. finali ff. pro legato l. 48. ff. de acquir. rer. domin.* Titulus etiam qui causa possessionis est cum bonâ fide maximè est conjungend9, usucapio enim sine titulo non procedit *pr. l. h. r. l. unic. C. de usucap. transfor. l. 24. C. de rei vind. l. 4. l. 11. C. de long. temp. præscr.* Unde ad usucapionem his versiculis contenta maximè requiruntur.

Justa

Justa fides, justus titulus, res non vitiosa.

Quod res tradatur, tempus quoq; continuetur.

Q. Vid. Schneid. ad prim. n. 13. h. t. Hinc titulum pro herede in suis etiam locum habere statuimus. 1. quia is titulus generalis est, & in omnibus heredibus obtinet. *l. 1. ff. pro herede. E & in suis.* 2. Quia fuitas Filio perniciofa esse non debet, quod in proposito contingeret, si non pro herede usucaperet. Deniq; quia possessionem post mortem Patris demum consequitur *l. 23. ff. de acquir. vel amitt. possess.* & ei nulla usucapio ex personâ Patris, sed ex personâ tantum suâ competere potest *l. 25. ff. de usucap. Communiter Dd. contra statuunt, ut & Donellus 5. comment. 14. uti videre est apud Arumæum exerc. 6. th. 8. (b) l. 4. §. 1. ff. de usurp. & usucap. (c) d. l. 4. Cujacius ad hanc legem 4. putat Tribonianum adjecisse (& maximè) nam adventitia etiam Paganus hodie usucapere potest, quia & possidere ea, sibiq; habere potest, profectitia verò usucapere non potest, quia illorum bonorum plenum apud Patrem remanet dominium (d) *d. l. 4. §. 2. ff. h. t. l. 32. §. 2. ff. de acquir. vel amitt. possess.* Si verò sit proximus pubertati vel egressus infantiam etiam sine Tutore rectè acquirere possessionem *d. l. 32. in fine.* Cum aliàs sine Tutore conditionem suam meliorem facere possit Bach. in not. ad Treutl. vol. poste. disp. 21. th. 3. lit. a. (e) De infante in *d. l. 32. §. 2.* respondetur quod Tutore autore possit incipere possidere: ita tamen ut hoc dicatur utilitatis gratiâ receptum, quod aliàs videatur nullus sensus esse in infante, id est animus nanciscendi possessionem, videlicet qualis est in aliis pupillis, adesse enim aliquid, probat idem textus, dum ait iudicium infantis, suppleri autoritate Tutoris, quo ipso distinguitur à Furioso, ille enim in ipso furore possessionem acquirere, exindeq; usucapionem incipere nequit, deficit quippe in ipso animus affectio & intellectus, qui ad possessionem acquirendam imprimis necessarius est *l. 3. §. 1. ff. de acquir. vel amittend. possess.* Si verò ante furorem aliquid possidere cæperit, illud durante furore usucapiet *l. 4. §. 3. ff. de usurpat. & usucap.* Sed notanda est restrictio Pauli in versiculo (sed hæc persona) ubi clarè significat, quod Furiosus non possit indistinctè in furore usucapere, quod ante furorem possidere, & usucapere cæpit, sed ita demum, si ex*

si ex eâ causâ possideat, ex quâ usucapio sequitur, quod Cujacius de causâ peculiari interpretatur. Ex hâc autem ideo Furiosum usucapere posse dicit, quia ex eâ etiam ignorantes usucapiunt, *l. si emtam 47. ff. de usurpat. & usus ap.* id quod jure singulari receptum esse ait *l. peregrè 42. §. quasitum 1. ff. de acqu. r. vel amitt. poss.* Servum quod attinet, illum usucapere non posse pro regulâ traditum in *l. us. ff. de R. 7. (f)* Nec illud videtur injuriosum esse, quando quis rem legitimâ præscriptione acquirit, quia ille qui patitur rem præscribi, videtur consentire & alienare *l. alien. 28. ff. de v. s.* Neq; sine causâ amittit dominium rei, sed propter ipsius culpam & negligentiam, ideò sibi imputet, *Schneid. b. 1. n. 11.*

VI.

Res verò usucapiuntur omnes tam mobiles quàm immobiles (a) tam corporales quàm incorporales. (b) Non verò res quæ in commercio Hominum non sunt, (c) vel quæ lege speciali munitæ sunt (d) vel quæ sunt odiosæ, & vitium aliquod in se continent. (e)

(a) *Pr. Inst. h. 1. l. uni. C. de usucap. transform.* Non obstante quod *Accursius & Azo in summâ super l. unquam C. de usucap. transform.* velint res mobiles ad usucapionem, immobiles verò ad præscriptionem referri, cum tamen expressè pateat ex *l. 3. & l. 9. ff. de divers. & tempor. præscript.* etiam mobilium præscriptionem esse. (b) Nimirum quæ in jure consistunt, unde etiam jura nominantur *Inst. de rebus corporal. & incorp. l. 1. §. 1. ff. de R. D.* quales sunt servitutes sive habeant causam continuam sive discontinuam, quam distinctionem ut sine lege & autoritate excogitatam ridet *Longovall. in explicat. l. 3. de Jurisdic.* Item obligationes & actiones, quibus etiam solent annumerari nomina, quales sunt vel pensiones exigibiles, *vertagte oder fellige Zinsen vnd Schulden bey dem Leben des verstorbenen / Landr. lib. 3. tit. 76. in fin. Const. Elect.*

Elect. 27. & 24. in fin. Item facta, quæ sub generali rei significatione quoque continentur l. 38. §. 13. l. 73. ff. de V. O. l. 1. in pr. versu ex eâ re ff. de his qui effuder. vel dejec. (c) De jure in nullo commercio sunt liber Homo l. 23. §. 2. l. 30. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. possess. Res sacrae religio- sæ & sanctæ, quod enim divini juris est, id nullius in bonis est §. 7. Inst. de R. D. illisq; ne immemoriali quidem tempore præscribi potest § sed aliquando Inst. h. t. l. 9. ff. eodem l. 30. §. 1. ff. de acquir. posses- sio. Utpote cum aptitudinem præscribendi non habeant, nullus et- iam præscriptioni erit locus Jason in simili in pr. l. 1. ff. de acquir. vel a- mitt. possess. Tandem publicæ l. 9. ff. h. t. l. 34. ff. de contrah. emt. l. 2. & t. t. C. ne rei domin. vel templor. vend. tempor. præscript. summoy. (d) quarum quædam ratione ætatis eximuntur nimirum res pupilla- res & minorum. Et hoc est generale, ut contra pupillum non cur- rat præscriptio l. 3. C. quib. non objicit. longi tempor. præscript. l. 48. de acquir. rer. domin. l. 2. §. 15. ff. pro emt. sive sit long. tempor. d. l. 3. C. quib. non objic. long. tempor. præscript. sive longissimi l. 3. C. de præscr. 30. annor. Melius enim est ipsorum jura intacta servare, quàm post vulneratam causam remedium quærere l. fin. C. in quib. caus. in integ. restit. non est necess. Huc referri etiam possunt bona filiifam. adventitia, quorum Patri quæritur ususfructus, adversus illa durante patriâ potestate non currit præscriptio, Filiusfam. enim adhuc sub Patris potestate existens non valet agere l. 1. in fin. & auth. nisi tricen. C. de bon. matern. l. quacung; 4. C. de bon. qua lib. l. 1. in fin. C. de annal. except. cum itaque ipsi nulla negligentia imputari possit, nullæ etiam pœna erit constituenda Donel. 5. Comment. 22. latè Gilken. de præscript. par. 3. c. 3. n. 66. & seqq. Res quoque furiosorum & prodigorum effugiunt præscriptionem, quæ non minus quàm Pupillo- rum & Minorum speciali lege sunt munitæ Balb. 1. part. 6. pr. n. 46. & quia non tantum intellectu §. 8. Inst. de inutil. stipulat. in d. etiam mête destituuntur l. 40. ff. de R. J. ideoque sicut rei pupilli vel mino- ris non potest præscribi per dicta, ita nec Furiosorum vel Prodigio- rum. Præscriptioni quoque non subjiciuntur res dotales l. 4. 16. ff. de fundo dotali, si postquam res in dotem data est cæperit usucapio: si verò antequam daretur fundus bonâ fide possessus fuerit secus est. d. l. 16. ff. de fund. dotal. Hanon. disp. pandect. 11. th. 7. l. d. Res fisci quoque

quoque immunitatem à præscriptione habent *textus est in §. res fisci l. b. t. l. 2. C. commun. de usucap.* Acquisitæ, nimirum & ut dici solet incorporatæ, non acquirendæ nec dum indicandæ vel nunciandæ *l. 18. ff. b. t.* Prædicta tamen sunt intelligenda de præscriptione longi temporis, secus de longissimi ac cumprimis 40. annor. *per l. 4. C. de præscript. long. temp.* per quam indistinctè omni juri præscribitur. Tandem lege speciali munitæ sunt Res meræ facultatis *l. 2. ff. de viâ publ. & itm.* scilicet illæ, quæ citra ullam obligationem & conventionem jure naturæ vel gentium cujuscunq; arbitrio libero sunt permissæ. Hinc is qui molendinum in flumine habuit, quod vetustate collapsum est, potest illud reædificare nullâ omninò temporis præscriptione obstante: quia cum sit facultatis, non admittitur præscriptio per non usum, sed per contrarium usum, *Johan. Hering. in tract. singul. de molend. eorum jure qu. 21. n. 24.* Similiter subditi qui per centum annos & ultra iverunt ad molendinum Domini, si Vicinus novam molam construat, isti Subditi compelli non possunt, ut etiam in posterum ad molendinum Domini eant. *Hæn. disp. pandect. 11. th. 7. l. b.* Prædicta autem limitate procedunt: res enim meræ facultatis duplici modo præscribuntur, uno cum præscribens prohibet, & is contra quem præscribitur, prohibitioni non contradicit, intra tempus ad præscriptionem sufficiens; tunc subditi alibi molere volentes, prohibiti, alibi molere non possunt, si prohibitioni acquieverunt per tempus ad præscribendum sufficiens *Schneid. ad §. flumina n. 15. Inst. de R. D.* Altero modò si facultas hæc non ex merâ facultate sed ex jure dependeat: ut cum quis actu, stillicidio, luminibus &c. 10. annis inter præsentis, 20. inter absentes usus non est, jus suum amisit libertate Vicino quæsitâ *l. 4. §. fin. ff. b. t. l. 10. C. de servit. & aquâ. Hæn. d. l.* Hoc loco non incommodè duplex proponitur quæstio, an juri reluendi vel offerendi pignoris item pacto de retro vendendo possit præscribi? Nos, licet nonnullos affirmativam sententiam amplecti sciamus, attamen cum *Cujacio in l. 13. ff. de Usucap. & in parat. C. de præscript. 30. vel 40. annor. Gailio 2. Observat. 18. n. 4. Arum. eo Exerc. Inst. 6. th. 9. Hænon. disp. Pandect. 11. th. 8. negati-*

vam defendimus. Meræ enim facultatis sunt, quæ autem in me-
râ facultate consistunt præscriptione non tolluntur *l. 2. ff. de via
public.* (e) Uti sunt res furtivæ §. 2. *Inst. h. t. l. 4 l. 37. in pr. ff. eodem
l. 10. & 12. C. de furt.* Illis rebus usque dum ad priorem dominum,
non revertantur, vitium reale semper adhæret, & ad quemcunque
etiam possessorem transeant, illas semper concomitatur §. 3. *Inst.
h. t.* Rerum autem mobilium quotiescunque à sciente venduntur,
vel ex aliâ causâ traduntur: quamvis bonâ fide accipiantur, com-
mittitur furtum §. 3. *Inst. h. t.* In res verò immobiles furtum non
cadit §. 2. *Inst. h. t.* quapropter hæc si aliud impedimentum non ob-
stet intra legitimum tempus jure licitè usucapiuntur: In illis verò
non facilè procedit usucapio *d. §. 3. Inst. h. t.* quod tamen aliquan-
do aliter se habet *d. §. 3. Inst. h. t.* Res quoque vi possessæ immobi-
les sunt odiosæ & præscriptionem effugiunt *l. 4. §. 22. & seqq. hic
l. 33. §. 2. ff. eodem l. 86. ff. de furt. l. final. ff. vi bonor. rapt.* Non etiam
ex quibus vi quis dejectus est; hæc enim à bonæ fidei possessore usu-
capi possunt. *d. l. 33. §. 2. ff. eodem.*

VII.

Objectum usucapionis quoniam varium
(a) ideo etiam usucapio variatur (b) accedente
lapsu temporis à lege variato. (c) Tempus autem
illud est vel modicum (d) vel longum (e) vel lon-
gissimum (f) vel immemoriale. (g)

(a) Talis enim constituitur regula, quod regulariter omnes
res, quæ expressè non reperiuntur exceptæ vel prohibitæ usucapi
possint. Unde res mobiles & immobiles, corporales & incorpo-
rales, item actiones & accusationes, item res laicorum præscri-
buntur. (b) Illa enim accommodata rebus tam mobilibus quam
immobilibus, tam corporalibus quam incorporalibus diversum
in illis statuit *l. unic. C. de usucap. transform. & tit. Inst. de usucap. in pr.
versu & cum hoc & versu sequ.* (c) Justinianus auctis jam passim ita
divitiis, ut locupletes in istis temporum angustiis non omnes cir-
cumspi-

cumspicere possessionum suarum & facultatum partes commode possent, ne Domini maturius quam par esset rebus suis defraudarentur, ita usucapiones transformavit: ut res quidem mobiles per triennium, immobiles verò in omnibus indistinctè terris (nam vetus illa Italici & provincialis soli differentia temporibus Justiniani erat obsoleta) per longi temporis possessionem, id est, inter præsentes decennio, inter absentes vicennio nunc usucapiantur, *l. unic. C. de usucap. transform. pr. Inst. eodem.* (d) Illud dividitur 1. In annale, quo pleræq; actiones Prætorix tolluntur *pr. Inst. de perpet. & tempor. actio: l. 1. ff. quæ in fraudem Cred. fact. sunt ut restit.* Prætorum enim imperium annuum fuisse notat *Duar. disp. 2. c. 55.* Hinc injurias verbales de quibus est actio Prætorial. *l. 5. C. de injuriis* annali præscriptione tolli concludimus *Anton. Matth. in Collegio Inst. disp. 18. th. 23. Hæn. pandect. disp. 11. th. 16. l. b.* Cui concordat jus Saxonicum *Const. 46. ubi: Dieweil die Rechte wollen / daß die wortliche injurien in Jahres frist præscribiret werden / so lassen wir es auch dabey bleiben: jedoch wollen wir / daß die verjähmung von der zeit an / als der injuriatus solche injurien erfahren / gerechnet vnd zu lauffen angefangen werde.* An autem actioni injuriarum verbalium etiam criminaliter intentatæ ad exemplum civilis injuriarum actionis præscribatur admodum controvertitur? Omnino argumento *l. si non convitu 5. C. de injuriis.* Plura præscriptionis annalis exempla vide apud *Cujacium tract. de Præscript. ad quem brevitatis causa me remissum cupio.* 2. In biennale, quo præscribitur actioni de dolo *l. fin. C. de dol. mal.* item exceptioni non numeratæ pecuniæ *l. 14. C. de non num. pecun.* Licet enim aliàs exceptiones sint perpetuæ *l. 5. & 6. C. de except.* ita ut nullo tempore ne quidem 30. vel 100. annis præscribantur. *Vvesenb. in parat. de exception. & præscript. n. 12.* tamen quando per formam agendi, vel implorationem officii Judicis proponuntur, atque ita sunt potius actiones quàm exceptiones, non minus eis quam reliquis actionibus præscribitur, quia aliquid negligentix potest imputari *Hill. lib. 22. Donel. Enuclat. c. 2. lit. p. Vves. d. l. 3.* In triennale: hoc tempore omnes res mobiles indistin-

Et usucapiuntur §. 1. Inst. h. t. l. unic. C. de usuc. transfor. sive sint
privatæ sive ecclesiasticæ auth. quas actiones C. de Sacro. Eccles. Balb.
de præscript. part. 15. pr. q. 1. n. 10. Illic. lllm. in process. Judicia. disp. 8. th.
6. n. 45. 4. In quadriennale: quæ præscriptio competit fisco con-
tra privatum, vel privato contra fisco. Fisco datur adversus pri-
vatum, quando post venditionem rei alienæ à fisco Dominus rei
repellitur exceptione §. fin. In. h. t. l. 3. C. de quadr. præscr. Adversus
fisco datur quando quis rem quadriennio ex bonis vacantibus
fisco nondum nuntiatis possedit, tunc enim excluditur fisco ut
nullam amplius quæstionem possit intentare l. 1. C. de quadr. præscr.
l. 1. §. 2. ff. de jur. fisci l. 10. ff. de diver. & tempor. præscr. 5. In quin-
quennale, quo finitur querela inofficiosi testamenti l. 16. C. de inoff.
test. non tamen etiam jus agendi ad supplementum legitimæ, quia
ad id agitur conditione l. 30. C. de inoff. testam. & hæc conditio quia
personalis erit perpetua l. 3. C. de præscript. 30. ann. Bal. quarta par. 4. pr.
q. 23. Itm extinguitur accusatio adulterii l. 29. §. 5. & 6. l. 31. ff. ad
l. Jul. de adult. l. 5. C. eodem & omnia crimina quæ ex lege Juliæ de
adulteriis coercendis descendunt d. l. 29. §. 6. in fin. Idem de crimi-
ne peculatus l. 7. ad l. Jul. pecul. & crimine ex Scto Syllaniano pro-
veniente dicendum l. 13. ff. ad Sctum Syllan. Eleganter Cujacius 4. Obs.
14. (e) Quale est decennale & vicennale t. t. C. de præscr. 10. vel 20. annor.
Illo præscribitur rebus immobilibus corporalibus & incorpora-
libus, ut actioni reali, rei vindicationi, & publicianæ inter præsen-
tes: hoc verò inter absentes pr. In. h. t. l. 9. pen. & ult. C. de præscript.
long. tempor. l. un. C. de transf. usucap. Præsentibus vero h. t. dicuntur
esse respectu domicilii, quod in eadem provinciâ est, licet res quæ
præscribitur sit in alienâ, aut alteruter ad quem præscriptio perti-
net absit quoad præsentiam corporalem l. fin. C. de long. temp.
præscr. Absentes contra dicuntur, qui in diversis provinciis habi-
tant, etiamsi res in confinio utriusque Provinciæ sint d. l. fin. Huc
pertinent operæ Hominum, quæ Dominis prædiorum à Rusticis
suis solent præstari Gebh. de usucap. c. 3. §. 2. n. 43. Præscribitur eti-
am 20. annis bonis fiscalibus l. 1. §. penult. & ult. ff. de jur. fisci. l. 2. §.
sed si l. 3. ff. de requir. vel absent. damn. l. 13. pr. ff. de diver. & tempor.
præscr.

præscr. exceptis iis, quibus breviori tempore præscribi supra demonstravimus. Hûc porrò referuntur actiones criminales, seu actiones ferè omnes, quæ regulariter annis 20. extinguuntur, spacio scilicet à die criminis commissi computando, adeò ut hæc præscriptio & fisco & Magistratui ex officio vel per inquisitionem, procedere volenti obstet *l. 3. ff. de requir. vel abs. damnand. l. 12. C. ad l. Corn. de fals. Gæd. ad l. 131. ff. de V. S. §. 1. n. 10.* (f) Longissimi temporis præscriptio est vel 30. vel 40. annorum: Quæ præscriptio jure *ff. & l. incognita Jure Cod. novissimè* introducta est *Treutl. hîc th. 4. lit. k. Hillig. Donell. enucleat. 5. c. ult. lit. a.* Hæc præscriptio currit cum malâ fide *l. 1. §. ad hæc C. de annal. except. l. 3. & 4. C. de præscr. 30. vel 40. annor.* Quod tamen secus est de jure Canonico per *cap. vigil 5. c. ult. ext. de præscript. c. possessor. de R. 7. in 6.* De jure Saxonico idem est dicendum, ibi enim nulla currit præscriptio annalis, si præscribens non fuerit bonæ fidei possessor. Quod tamen *Vvesenb. in parat. ff. h. t. n. 11.* de longi temporis usucapione expressè negat, asserens, nullam bonæ fidei rationem in tali usucapione haberi, sed solùm continui temporis possessionem considerari. *Daniel Mollerus verò ad Const. Elector. 3. part. 2. n. 2. & 3. restringit* pro bonâ fide semper donec contrarium non probetur præsumi. Præscriptione 30. annorum perimuntur res immobiles & actiones civiles omnes *l. 3. 4. C. de præscr. 30. annor. l. 3. C. quib. non objic. long. temp. præscr.* Item debita, si enim Creditor 30. annos debitum non exegerit, post illud tempus debitum exigens removetur exceptione præscriptionis, utpote qui tempore liberatur similis sit solventi *l. 46. ff. de adm. & per. Tutor. & ita fuisse pronunciatum in Seabinatu Lipsensi, notat Mollerus lib. 3. Semest. cap. 18.* Quadragenali præscriptioni subjacent res temporales Ecclesiæ *auth. quas actiones C. de Sacr. Eccles. Novell. 9. III. c. 1. 131. c. 6.* Res hospitalium, cum & illæ SS. Ecclesiis comparentur *l. 35. C. de Episc. & Cleri.* Pauperum usibus dicatæ *d. auth. quas actio. C. d. t. Concordat jus Saxonicum, part. 2. Const. Elector. 5.* (g) Cujus initii nulla extat memoria *c. 1. in fin. de præscr. in 6. tenetq; vim legis l. 1. §. fin. ubi Dd. de aquâ plu. arc. ac habet vim privilegii c. super quibusdam §. præterea & ibi Canonistæ*
Extr.

Extr. de V. S. l. hoc jure 3. §. ductus aqua de aqua quot. & estiv. Hoc tempus alias dicitur incertum, cum de eo nihil certi determinatum, sed diversa intervalla habere videatur *arg. l. 7. ff. de Codicill.* Unde interdum centum anni, interdum plures, interdum pauciores requirantur *arg. l. 28. ff. de probat.* Nos si de ipsius initii memoriâ nihil possit demonstrari sufficere putamus. Huic autem præscriptioni sunt subjectæ res Ecclesiæ Romanæ *d. auth. quas act. res vel civitati, vel in pium aliquem usum testamento relicta, vel donationis aut venditionis titulo concessæ l. ut inter 23. C. de S. S. Ecclesiis.* Cujac. ad titulum *ff. de divers. & temp. præscript. cap. 34. & lib. 5. observ. c. 5. Donel. lib. 5. Comment. c. ult.* Hæc de centenariâ præscriptione. Præscriptione temporis immemorialis etiam acquiruntur regalia, cum adversus ipsum Principem sit præscriptio, aliaq; jura quæ aliâs præscribi nequeunt *c. super quibusdam §. præterea Extr. de V. S. Myns. cent. 1. assert. 30.* De jure Saxonico duæ tantum sunt præscriptionum species, una rerum mobilium annalis cû sex septimanis: Altera rerum immobilium indistinctè tricennalis cum anno & die, ubi dici appellatione jure Saxonico venit spatium **der Sächsischen Frist** / five sex hebdomadarum, seu ut vulgò vocant, **im Jahr vnd Tage / Das ist ein Jahr / 6. Wochen vnd 3. Tage.** Heig. *part. 1. q. 16. n. 38.*

VIII.

Finis usucapionis est bonum publicum (a) cui obtinendo destinatur, & est vel principalis (b) vel minus principalis. (c)

(a) Salus populi suprema lex est *Cic. 3. de ll.* nihil itaq; refert iniquam aliquo modo videri usucapionem respectu privatæ utilitatis, cum æqua sit respectu publicæ, quæ præferenda privatæ: ad eoque lex quæ vetat cuiq; invito dominium auferre *l. 4. C. de R. V. l. 75. ff. de R. J.* hîc non obstat, sed tanquam lex inferior superiori cedit *Myns. hîc & VVesenb. in parat. ff. h. t. n. 13.* (b) Ut aliquando litium finis sit *l. fin. ff. pro suo* quas consopiri atque prohiberi Reip. interest *l. 21. ff. de reb. cred. l. 1. de jurejur. l. 13. §. 3. de usufr. l. 14. in pr.*

C. de

C. de Judic. l. 13. C. de offic. Praesid. c. nonnulli 28. extra de rescriptis.
Cum enim Homines naturaliter ad dissentiendum sint faciles,
semper alter alteri controversiam de rerum possessione & domi-
nio moveret, & sic litium, quas innumeras oriri necesse esset, finis
nullus fieret, nisi lex salubri remedio providisset, & proprietatem
certo tempore possidenti acquiri vellet *Schneid. Inst. hinc. 10. VVe-*
senb. in parat. h. n. 13. (c) Negligentia Dominorum res suas petere
negligentium. Quemadmodum enim jura vigilantibus succur-
runt, eorumq; conditionem meliorem reddunt *l. fin. C. de annal.*
except. l. 24. Quae in fraud. Cred. fact. sunt ut restit. ita e contra desides,
inertes, somniculosos, ac sui juris contemptores ob negligentiam,
& socordiam justis pænis afficiunt d. l. fin. C. de annal. except. l. 2. ff.
de his qui sunt sui vel alien. jur. VVes. in parat. n. 12. de except. & prescr.
nec immeritò cum negligentiam hanc singulorum videbatur fore
damnosam universis *Conan. Comment. 7. n. 7.* Exempla vide *apud*
Gilken. part. 1. c. 1. Unde etiam eam ob causam apud Romanos
Censoriâ notâ fuisse punitos, qui minus diligenter agros colerent
rest. est Agell. 4. Noct. Attic. 4. Præscriptiones itaq; introductæ, quò
illi ob negligentiam suam rerum suarum jacturam paterentur,
quique res ipsorum occuparent præscriptione tuti essent.

IX.

Effectus usucapionis est dominium (a) quod
adeo possessori adjicitur, ut nec à principe possit
auferri (b) nec contra illud ex capite ignorantia
in integrum restitutio dari. (c)

(a) *l. 3. hic. l. 20. C. de pact. l. 20. Ex quibus causis mayo. l. 17. in*
fin. ff. de R. V. l. 10. §. 2. de acquir. rer. domin. An autem usucapio ple-
num acquirat Dominium Accursius & Bartolus dubitarunt? Sed
puto istam disputationem de lanâ caprinâ esse, cùm satis illud an-
tea allegatæ ll. probent. Denique quod sit species veræ alienatio-
nis, profitetur Jctus *in l. 28. ff. de V. S.* Nec est quod quis ad hosce te-
xtus respondeat *improprium saltem dominium per usucapionem*

C

trans-

Q.

transferri: nam hoc divinatorium est, nec ratione validâ compro-
bari potest: Deinde pro significatione verborum propriâ præsu-
mitur, usque dum improprietas eorundem apertè demonstratur
l. non aliter 69. ff. de legat. 3. Quod si jus ad animum advertamus,
nullum est dominium utile ne dum hoc usucapione acquiritur
Costal. in l. 1. ff. si ager vectigal. petatur. Duar. 1. disp. 17. Cujac. 11. obs. 35.
quinimo tota hæc distinctio ex facibus Longobardorum multò
post tempora Justiniani in Scholas introducta est. *Vult. Inst. hic n. 46.*
& lib. 1. discept. 19. Hænon. disp. pandect. 11. th. 18. lit. a. (b) Prohibet
hoc naturale præceptum ac principium: suum cuiq; esse tribuen-
dum §. 3. *Inst. d. 7. & 7.* cui sanè præcepto naturali Princeps non
minus atq; privatus est subjectus. *Adhæc in l. quod nostrum est gene-*
raliter dicitur, id quod nostrum est nobis invito auferrî non posse.
Et quanquam dissentientes illam regulam ad privatos restringere
conentur, nec illam ad Principes porrigi posse existiment, nullum
tamen limitationis hujus fundamentum habent. Et præterea
nititur ista regula ratione atque fundamento naturali, contra
quod Princeps nihil facere potest. Huc faciunt etiam *arg. l. 16. C.*
de transact. l. 15. de condit. instit. l. 3. C. de ll. (c) 1. Quia si restitu-
tioni locus esset propter ignorantiam, nunquam vel rarò præscri-
ptio locum haberet, quis enim rerum suarum adeò Prodigus exi-
steret, ut sciens eas ab alio usucapi pateretur? 2. Probatum clarè
l. ult. ibi. nulla scientia vel ignorantia expectanda C. de præscr. long.
temp. 3. Lites consopiri inter est Reip. pr. Inst. de usucap. At con-
trariâ sententiâ admittâ non consopirentur, sed quotidie exoriren-
tur, dum unusquisque ignorantiam prætere conaretur 4. Fa-
cit *l. unic. C. de usucap. transfor.* Ubi Imperator Justinianus tem-
poris duntaxat angustiam, nimis enim citò olim suis cadebant
possessionibus, corrigit, cui consequens omninò manet, ll. anti-
quas quibus præscriptio contra ignorantes etiam efficaciter curre-
bat, adhuc vigere. Tandem satis superq; constat contra bo-
num publicum restitutionem dandam non esse. Præscriptio verò
bono publico introducta est. *l. 1. ff. de usucap. Decisum ita quoq; est in*
Constit. Eleæ. Diemeil aber/dieser opinion zu folgen/ viel
præsta-

præstationes auffgehoben / vnd also die HåuptUrsachen darumb die vorjåhrung eingeführet / als nemlich / daß der Güter eigenthümliche Gerechtigkeit nicht ewig ungewisse / vnd des Sancts vnd Haders ein ende sey / zerüttet würden / daraus eine grosse verenderung folgen wolte. So haben sich vnser Verordnete verglichen / daß die restitutio etiam ob justam ignorantiam, wenn es vber 30. Jahr vnd Tag ist / nicht statt habe / noch darauff gesprochen werden sol / welches wir vns auch also gefallen lassen. Daniel Moller ad Const. Elect. 9. part. 2.

X.

Olim inter usucapionem & præscriptionem maxima erat differentia. (a) Hodie verò inter sese magnam habent cognationem, (b) imò tantam, ut omnis differentia, nominis tantùm excepta, inter illos duos acquirendi modos sit sublata. (c)

(a) Olim quibus modis præscriptio ab usucapione distabat refert Donell. 5. Comment. 4. Treutler. disp. 22. vol. poster. th. 1. lit. g. triplicem utriusq; differentiam notat. 1. Est ex rebus possessis. Usucapio erat corporalium duntaxat rerum l. 25. ff. de usurp. & usucap. l. 43. ff. de acquir. rer. domin. mobilium quidem omnium, immobilium verò non omnium, sed Italicarum tantùm: Res enim provinciales usucapi non poterant pr. Inst. de usurp. & usucap. Præscriptio autem erat rerum immobilium & quidem provincialium duntaxat, hoc est, earum rerum quæ in provinciis erant, & prædia stipendiaria vel tributaria, & res nec mancipi dicebantur, ut & rerum incorporalium. Sic servitutes quoque olim usucapi non poterunt l. 20. ff. de serv. urban. prædi: longi tamen temporis possessione acquiri poterunt l. si quis diuturno 10. ff. si serv. vindic. l. 1. §. ult. ff. de aquâ & aqu. plu. arcend. l. apparet. §. penult. ff. de itin. act. priv. Cur autem res provinciales immobiles usucapi non potuerint, mobiles verò potuerint, ratio hæc est, quod rerum provincialium immobilium

bilium dominium propriè erat Reip. & provincialibus tantùm
 erat usus earum & fructus concessus. Res autem mobiles provin-
 ciales in singulorum fuerint dominio Hubert. Giph. ad l. 1. C. de usu-
 cap. transf. Hun. disp. ad Trent. 22. vol. post. th. 1. q. 3. 2. Fuit in tempo-
 re acquirendi: Usucapiebantur jure veteri res mobiles anno ubiq;
 ano, immobiles biennio tantùm in Italico solo pr. Inst. h. t. l. unic.
 C. de usucap. transform. Wesenb. in parat. ff. h. t. n. 11. Præscribeban-
 tur res provinciales immobiles inter præsentis decennio, inter
 absentes vicennio l. 9. C. de præscript. long. tempor. Donel. 5. Com-
 ment. 4. Tertia erat in effectu: Longi temporis præscriptione non
 acquirebatur dominium rei possessæ & præscriptæ, sed exceptio
 duntaxat, quâ quis rem possessam contra dominum defendebat
 l. si finita ff. de damn. infe. Hott. ad pr. Inst. h. t. actio verò, quâ rem à
 Domino vel alio possessam vindicaret, ex possessione longi tempo-
 ris non nascebatur. Unde & veteres præscriptionem pro exce-
 ptione sumebant l. fin. C. de exc. l. qui agitur ff. eodem, & facit rubricæ
 ea in ff. & C. de except. seu præscript. Ex usucapione verò plenum
 justumq; dominium acquirebatur l. 3. ff. de usurp. & usucap. l. 20. C.
 de pact. adeò ut post eam evictioni locus non erat l. 17. C. de evict.
 Hott. ad pr. Inst. h. t. & facit huc definitio Modestini l. 3. ff. eodem. A-
 lias differentias quamplures apud Dd. passim existentes brevitatis
 causâ omittere placet. (b) princ. Inst. h. t. l. un. C. de usur. transform.
 Donell. 5. Comment. 4. Nec in contrarium movet, quod de usuca-
 pione & longi temporis præscriptione diversi in jure nostro tituli
 extent. Ad hoc eaim Donell. d. lo. respondet, cætera etiam quæ in
 contrarium adduci solent satis à Donello ibidem refutantur.
 (c) Anton. Matth. in not. ad Inst. h. t. & in Colleg. Inst. disp. 7. th. 3. Ho-
 non. in colleg. pand. disp. 11. th. 1. lit. a. Dissentiunt Dd. communiter Ac-
 curs. ad rubricam Inst. hinc Azo ad rubr. C. eodem. n. 7. Schen. in pr. Inst. d. t.
 n. 9. qui adhuc præscriptionem a busucapione differre putant, eò
 quod hæc ad res mobiles illa ad res immobiles pertineat. Sed bene
 notantur à dictis Dd. Donello & aliis.

XI. Pu-

Pugnancia usucapionis sunt interruptio (a)
& restitutio in integrum (b) cui & tertium potest
addi statutum. (c)

(a) Quæ etiam in jure modò usurpatio *l. 2. §. ff. h. t. modò*
interpellatio l. 1. C. de præscr. long. tempor. l. 10. C. de acquir. possess. mo-
dò temporis interruptio nominatur l. 1. 2. 3. C. de annal. except. VVe-
senb. h. t. n. 15. Interruptio hoc efficit, ut prius inchoata usucapio
prorsus in nihilum redigatur, & de novo ordianda sit præscriptio,
Don. 5. Comment. 21. VVesenb. parat. hîc n. 15. Interruptio autem vel
est naturalis vel civilis. Naturalis est, quando possessio naturali-
ter, aliquo naturali factò, & re ipsâ interrumpitur *l. 4. §. 22. l. 5. h. t.*
VVesenb. in parat. ibidem n. 15. quod fit quando quis vi vel dejectione
exuitur possessione *d. l. 5. l. 15. h. t.* vel inundatione, seu vi fluminis
de possessione repellitur *l. 3. §. 17. l. 30. §. 5. ff. de acquir. vel l. amitt. pos-*
sess. vel quod rem pro derelicto habeat, aut alio modo removetur.
Civilis interruptio seu ficta est, quæ fit per actum civilem, ut hodiè
per citationem, & litis contestationem, *l. 10. ff. de acquir. vel amitt.*
possess. l. 2. C. de rei vend. l. 2. l. 10. C. de præscript. long. tempor. l. 3. l. 7.
C. de præscript. 30. annor. Non tamen aliâ extra judiciali denuncia-
tione, vel libelli oblatione *l. 13. pro emptor.* nisi in casibus *in l. 2. C.*
de annal. except. expressis, vel de novo jure in judiciis ordinariis, uti
non est in potestate Actoris fieri litis contestationem ille effectus
tribuatur citationi vel arbitrio Judicis *Bach. ad Treutl. th. ult. h. t. in*
fin. (b) Restitutione in integrum tollitur præscriptio *l. unicâ C. si*
advers. præscript. l. 1. Ex quib. caus. Major. &c. quæ datur minoribus &
aliis, & ne plus videatur restitutio transferre, quam ob impedi-
mentum fuerit ablatum *l. 15. §. final. l. 26. §. 8. Ex quibus causis Majo-*
res &c. l. 24. §. 4. ff. de Minor. Coler. ad cap. ex transmissu 10. n. 3. de Præ-
script. non planè tollitur præscriptio, si ante justum impedi-
mentum cœpit currere sed ratione complemèti conjunguntur tempo-
ra cum posteriorib9, tum tamen ut illa tempora obstantis impedi-

menti deducantur. (c) Statuto deniq; tolli præscriptionem Au-
tor est Baldus in aurb. quas actiones C. de SS. Eccles. quam sententiam
in camerâ observari notat VVesenb. vid. Balb. 5. part. 5. pr. q. 7. & 9.

Et tantùm de intricatissima tam in jure Civili,
Canonico, quàm Cæsareo utilissimâ atque frequen-
tissimâ usucapionis materiâ, dixisse sufficiat, cum enim
ad amissim omnia redigere recusabat temporis angu-
stia, non permittebat materiæ difficultas, dene-
gabatur ingenii tenuitas, fuit tamen ali-
quid prodire tenus si non
ultra.

SOLI DEO GLORIA.



Additamentorum ma- nipulus.

I.

Feudum per Vasallum absque consensu Do-
mini alienatum, contra Dominum præscriptione
30. vel 40. annorum amitti putamus.

II.

Jurisdictionem & merum imperium præscri-
ptione acquiri posse statuimus.

III.

Debitore præscriptione liberato etiam Fide-
jussores ejus liberari affirmamus.

IV. Ju-

IV.

Judex parte de præscriptione nihil opponente, eam ex actis sibi evidentissimè notam ex officio supplere potest.

V.

Pignus à Debitore Creditori subtractum usucapiposse negamus.

VI.

In materiâ usucapionum non secundum Jus Canonicum, sed secundum Jus Civile judicandum esse asserimus.

F I N I S.



Indicium de ...
...
...

VI
...
...

In materia ...
...
...

F I N I S



05 A 1995

ULB Halle

3


003 785 580



VD 97







L.
DISPUTATIO JURIDICA,
De
USUCAPIONIBUS
ET LONGI TEMPORIS PRÆ-
SCRIPTIONIBUS,

Quam

Divinâ favente gratiâ

*Auctoritate & permisso Magnifici Jctorum Ordinis
in Illustri Witebergâ,*

Præsidente ac Dirigente

**AMPLISSIMO AC CONSULTIS-
SIMO VIRO,**

DN. JEREMIA REUSNERO, J.U.D.
Professore Publico, Electoralis Curix, Dicasterii & Fa-
cultatis Juridicæ ibidem Adessore, Præceptore ac
Promotore suo perpetim colendo
observando,

Publica disquisitioni subjicit

JOHANNES JACOBUS Kraß /
Stendaliensis Marchicus.

Ad diem 20. Januar. horis à 7. matutinis

In Aeroaterio Jctorum.

WITTEBERGÆ,

Ex Officinâ Typographicâ CHRISTIANI THAM,
Acad. Typogr,

ANNO M DC XXVI.